# Stephano I. Poloniae Regi
## Antonius Possevinus.

Is qui Regiae Majestati Vestrae has literas reddet, nobilis est Rutenus, quem apud nostros Vilnae literis operam dantem, in Moscoviam adduxi, ut praeter alterum hoc quoque interprete uterer. Qui cum mihi fidelem praestiterit operam, penèque omnibus rebus interfuerit, eum Vestrae Majestati praemitto. Quam demissè rogo, ut per ipsummet atque per eos, quos meae ac meorum, inter equites quoquoversum discurrentes, tutelae Vestra Majestas isto in statu rerum, putabit esse necessarios, dignetur jubere, ut literae tuti commeatus afferantur: quibus etiam alter Moscus nobilis, qui à meo Pristavo ad Dominum Palatinum Vilnensem, mittitur, ac ceteri qui me deducunt, venire ac statim tuto redire possint ad suos. Ceterum quae pluribus scriptis, nec uno Colloquio, cum Magno Moschoviae Duce, ejusque Senatoribus egi, ea referam Vestrae Majestati. Quod ut facilius, praeter alia, ad meae missionis rationem spectantia, efficere possim, dignabitur, dispicere, qui nam mihi locus nec incomodior, nec valdè procul à tentoriis M. V. erit assignandus. Hoc enim praeter alias pro singulari beneficio agnoscam. Reliqui autem Magnum Ducem XIIII. Die hujus Mensis in Oppido Staricia ad Volgam, plùs minùs quadringentis passuum millibus hinc distante: qui mihi discessum paranti aspergens, in suo illo procerum et Aulicorum consessu, alta voce dixit: Tu Antoni, qui à Pontifice Maximo de pace missus es,

quemq; redeuntem ad nos expectabimus, nostro nomine te insinuabis Stephano Poloniæ Regi. Postea, cum jam Staricia 150 milliaribus Italiis processissem, misit ad me magnis itineribus volumen haud breve, quo mihi præter illa, quæ præsenti exposuerat, scribebat alia, quæ augebat ut seriem, ac præsertim quædam, quibus ad aliqua possem respondere V. Majestatis epistolæ, quam à Mathæo Drewonski allatam mihi latinè descriptam, per Senatores antea jusserat tradi. Sed et alia non pauca mihi, tum ejus nomine, tum alias ob causas, referenda sunt Majestati V. Hoc unum addo, Magnum Moscoviæ Ducem, triduò, postquam ab eo discessi, ad Trinitatis monasterium celebre apud hanc gentem, religionis (:ut ajebant:) causa, indè Slobodam parasse profectionem: indè verò paulò post Moscuam Regiam Suam petiturum, quæ duodecim tantum Leucis ab Oppido Sloboda abest. Majestati V. Regiæ omnia prospera et fausta ex animo, à Deo Opt. Max. precor.

Ex Bor pago, ad fluvium Volgam, Plescovia distante (: ut incolæ referunt :) paulò plus Centum milliaribus Italicis, die XXVI. Septembris 1581.